



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 25. Hujus Papæ Pontificatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI
A.C. 1585. cui Felicis merita, ejusque ingenii acies satis perspecta erant: postquam vero Alexandrinus Cardinalis post Pii IV. obitum in summum Pontificem electus erat, Felix ab eodem Romam accersitus primo supremus Ordinis sui Minister, ac postea Agathensis Episcopus, ac denique Cardinalis renuntiatur, ab illo tempore semper maximi momenti negotiis præfectus: mortuo autem Pio V. a Gregorio XIII. ejus Successore minus benigne habitus, raroque ad graviores causas adhibitus fuit.

§. XXV.

Hujus Papæ Pontificatus.

*Labi vie de
Sixt. V.*

Quamprimum Sixtus divi Petri Cathedralam conscenderat, immoto studio in id incumbibat, ut suum cuiusvis jus tribueretur, legesque tam Ecclesiasticæ, quam civiles integre servarentur, hinc obtento Pontificatu ditio- nem ecclesiasticam a proscriptis, qui suis latrociniis ipsas etiam urbes impune infestabant, expurgabat, ac securitati publicæ prospiciebat, effrænem illam coercens licentiam, quæ sub priori Pontificatu plurimum invalescebat, eapropter justitiæ Ministros stricto gladio insequi, vel illis quovis pacto resistere, crimen esse reputabatur, cujus
venia

venia Romæ regnante hoc Papa sperari haud poterat; insuper etsi Sixtus V. Bacchanaliorum tempore honestos lusus fieri permetteret, simul tamen patibula erigi iussit, ut petulantes, ac licentiosæ vitæ homines punirentur; severus enim vitiorum hostis, ac insignis virtutum protector erat, aliunde iudicii sagacitate, magnificentia, literarum amore clarus, ac semper potiorem noctem studiis consecrare assuetus, postquam in audiendis suorum subditorum postulatis integram diem impenderat: ad hæc non sine animi sui voluptate alternantem fortunæ vicissitudinem, seu potius providi Numinis dispositionem contemplantur, ob oculos sibi continuo ponens, quod ex miseriarum abyfso ad primos, qui in Ecclesia sunt, dignitatis honores elevatus fuerit.

§. XXVI.

Inaugurationis suæ solemnitas.

Ad Pontificatus sui initium die primæ mensis Maji solenni ritu inaugurabatur, in qua occasione quivis suam lætitiâ ob tam prosperam hujus viri electionem festivo applausu efferebat, præcipue vero eminebant Religiosi in Conventu sanctorum duodecim Apostolorum, qui summa magnificentia hanc solemnitatem celebrabant: priusquam

Sæcul. XVI.
A.C. 1583.

Thu. 1. 82.
Ciac. tom. 4.